Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

T. Livii Patavini Historicorum omnium Romanorum ... libri omnes

Livius, Titus

Francofurdi, 1648

Lib. I

urn:nbn:de:bsz:31-105429

Visual Library

DECADIS SECVNDÆ LIB. I. Epitome.

CVM Fabius Gurges conſul male aduerſum Samnites pugnaſſet: ſenatus de remouendo eo ab exercitu ageret: Fabius Maximus pater deprecatus hanc ſibi ignominiam, eo maxime Senatum mouit: quod i urum ſe filio legatum pollicitus eſt: idque præſtitit, atque eius conſiliis & opera filius conſul adiutus, cæſis Samnitibus triumphauit: C. Pontium imperatorem Samnitium ductum in triumpho ſecuri percuſſit. Cum ciuitas peſtilentia laboraret: miſſis legatis vt Æſculapii ſignum Romam ab Epidauro transferrent, anguem, qui ſe in nauem eorum contulerat, in quo ipſum numen eſſe conſtabat, deportauere: eoque in inſulam Tiberis egreſſo, eodem loco ædes Æſculapii conſtituta eſt. Lucius Poſthumius conſularis, quoniam cum exercitui præeſſet, opera militum in agro ſuo vſus eſſet, damnatus eſt. Cum Samnitibus pacem petentibus fœdus quarto renouatum eſt. Curius Dentatus conſul Samnitibus cæſis, & Sabinis, qui rebellauerant, victis, & in deditionem acceptis, bis in eodem magiſtratu triumphauit. Coloniæ deductæ ſunt, Caſtrum, Sena, Adria. Triumuiri capitales tunc primum creati ſunt. Cenſus actus eſt: luſtrum conditum, cenſa ſunt ciuium capita CCLXXIII. millia. Plebs propter æs alienum, poſt graues & longas ſeditiones, ad vltimum ſeceſſit in Ianiculum, vnde a Quinto Hortenſio dictatore deducta eſt: iſque in ipſo magiſtratu deceſſit. Res præterea contra Volſinienſes geſtas continet: item aduerſus Lucanos, contra quos auxilium Tyrrhenis ferre placuerat.